

1570 neret, optime Senatum nosse, octo annorum inducias se cum Selymo pepigisse; eas infringere neque christiano Principe, neque optimo viro dignum esse arbitrari; inducias Turcarum Rege servante, nihil adversus ipsum moliri posse, atque eo minus, quod post ea, quae in Cypro acciderant, de Principum mente non satis sibi constaret: ut vero maxime foedus cuperet, nihil, nisi ex ordinum Imperii consensu, atque ex regnorum, & provinciarum, quas hereditario jure possideret, sententia conficere posse: verum iis, quae Romae agerentur, cognitis, quidve ex foedere sperandum esset, certiore factum, cum Germania, suarumque provinciarum ordinibus re expensa, quid sentiret, declaratum. Eo Caesaris responso ad Senatum allato, Superantius ab extraordinaria legatione est revocatus. Neque promptior Sarmatiae Rex ad arma movenda visus est, cum praesertim aliis difficultatibus ea quoque accederet, quod legibus bellum extra Sarmatiam inferri, inconsulto communi conventu (quam *Dietam* vocant) qui augusti mensis exitu, omnium provinciarum praesidiis, aut earum procuratoribus praesentibus, solemni ritu celebrari solet, vetaretur. Itaque Antonius Theupolus ex arrepto in Sarmatiam itinere domum regredi iussus est.

Jacobus
Superan-
tius, &
Antonius
Theupolus
a legationi-
bus Germa-
nicae &
Sarmaticae
revocantur.

Alexandri
Donati,
Antibaris
praefecti,
spei de Sco-
dra occupa-
da.

Nutante foederis spe, in Illyrico, atque in Epiro minutis praeliis dimicabatur. Nostri crebro ab iis, qui Turcicae servitutis jugum perferre non poterant, ad copias atque arma in suas regiones mittenda exstimulabantur. Alexander Donatus, Antibaris praetor, subsidia ab Senatu urgebat, magna spe Scodrae civitatis potiundae subnixus, in qua nonnullorum sibi conciliatis, atque in defectionem proclinatorum animis, haud difficile occupare posse sibi persuaserat; licet Bernardus Contarenus, Ascrivii praetor, cui ea cura quoque delata fuerat, ignorare rescriberet, quo consilio, ac viribus Scodrae oppugnationem moliri Donatus vellet, quae situ & arte munita, nisi magnis copiis, ac bellico apparatu invadi non posset. Verum cum Aulonae praefectus militum manu septus Scodram venisset, incolas omnes ingenti metu perterritos a rebus novandis avertit, atque in aliud tempus Donatus negotium distulit. Interea cum Mustapha, quem